



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De illis qui truncationes ad reconciliationem adducunt. ci.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

*Ut sacerdotes nulli poenitentiam iniungant ex corde,
sed ex auctoritate. Cap. XCVI.*

OMnibus his actis ventilata est ratio poenitentiae, ut sacerdotes certius intelligerent, quomodo confessiones recipere, & poenitentiam secundum canonicam institutionem poenitentibus deberent indicare. *Ex cōcil. Mogūti. cap. 24.*

Ut vnusquisque presbyter octo principalia vitia per ordinem sciat. Cap. XCVII.

Ventilata est ratio octo principalium vitiorum, ut vnusquisque diuersitate illorum sciat, & ab illis domino auxiliante se intelligat custodire, & aliis praedicare. *Ex eodē, cap. 5.*

Ut sacerdotes diligenter examinent confidentium peccata. Cap. XCVIII.

VT episcopi & presbyteri examinent qualiter confidentibus peccata diiudicent, & tempus poenitentiae constituent. *Ex eodē, cap. 6.*

Ut singuli presbyteri capitula auctoritatiua habeant ad succurrendum poenitentibus. Cap. XCIX.

VT vnusquisque presbyter capitula habeat de maioribus, vel minoribus vitiis, per quae cognoscere valeat, vel praedicare subditis, ut caueant ab insidiis diaboli. *Ex eodē, cap. 26.*

De presbyteris qui culpas peccantium reticent, vel minus dignè poenitentes ad reconciliationem adducunt. Cap. C.

VT nemo presbyterorum xenium, vel quodcunque emolumentum temporale, imò detrimentum spirituale à quocunque publicè peccante, vel incestuoso accipiat, ut episcopo, vel ministris eius peccatum illius reticeat: nec pro respectu cuiusque personae, aut consanguinitatis, vel familiaritatis, alienis communicans peccatis, hoc episcopo innotescere detrectet, nec à quoquam poenitente, aut gratia, aut fauore, aut munus suscipere praesumat, aut minus dignè poenitentem ad reconciliationem adducat, & ei testimonium reconciliationis ferat, vel quocunque liuore alium quolibet dignius poenitentem à reconciliatione remoueat: quia hoc symoniacum, & Deo & hominibus contrarium est. *Ex decr. Alexā- dri papae*

De illis qui truncationes membrorum fecerint. Cap. CI. Ex poenitentiāli Romano.

QUI per rixam ictu debilem, vel deformem hominem fecerit, reddat impensas medici, & medium annum

pœniteat. Si non habuerit unde reddat, annum unum pœniteat. Si laicus per dolum sanguinem effuderit, reddat illi tantum quantum nocuit: & si non habet unde reddat, soluat in opera proximi sui, quâdiu ille infirmus est, & postea XL. dies in pane & aqua pœniteat.

De eadem re. Cap. CII.

Ex pœnitentiâ Beada presbyteri.

VIctum proximo dederit, & non nocuerit, tres dies pœniteat in pane & aqua. Si clericus, annum vel dimidium. Si quis alicui quodlibet membrum voluntate sua truncauerit, tres annos pœniteat, unum ex his in pane & aqua. Paruuli inuicem se percutiētes, tres dies: Si verò adolescentes, XX. dies pœniteant.

De illis qui ducatum præstant, & deprædatores super Christianos ducunt. Cap. CIII.

Ex pœnitentiâ Romano.

SI quis præbet ducatum super Christianos ut deprædentur, & non acciderit strages Christianorum, tres annos pœniteat. Sin verò, eiectis armis, vsque ad mortem mundo mortuus viuat.

De illis qui per amorem venefici fiunt. Cap. CIII.

Ex pœnitentiâ Theodori.

SI quis per amorem veneficus fit, & neminem perdidit Si clericus est, annum pœniteat, in pane & aqua. Si subdiaconus, duo. Si diaconus, tres, unum ex his in pane & aqua, & laicus dimidium annum pœniteat, maxime si per hoc mulieris partum quisque deceperit, tres annos vnusquisque superaueat in pane & aqua, ne homicidiis reus sit.

De illis qui hæreticis, nescientes, vel scientes se in aliquibus commiscuerint. Cap. CV.

Ex decretis eutychia. papa.

SI quis dederit, aut exceperit communionem de manu hæretici, & nescit quod catholica Ecclesia contradicit, postea intelligens: annum integrum pœniteat. Si autem scit, & neglexerit, & postea pœnitentiâ egerit, decem annos pœniteat, alii iudicant septem: & humanius V. annos pœniteat. Si quis permiserit hæreticum Missam suam celebrare in Ecclesia catholica, & nescit, XL. dies pœniteat. Si pro reuerentia eius, annum integrum pœniteat. Si pro datione Ecclesiæ catholicæ, & cōsuetudine Romanorum proiciatur ab Ecclesia sicut hæreticus, nisi habeat pœnitentiâ, si habuerit, X. annos pœniteat. Si recesserit ab Ecclesia catholica in cōgregationem hæreticorum, & alios